



**R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis
SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm**

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

Dom. XIV. post Pent. Lect. 22. bipar. Non potestis Deo servire & Mammonæ. 1. pars ostendit, quomodo sit impossibile servire Deo & divitiis. 2. præscribit remedium contra servitutem Mammonæ & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56372)

gratitudinem non redire, quamvis gravis sit culpa ingrati.

Ingratitudo accersenda. Deseftemur interim cum Domino ingrati-
tatem, tum illorum, tum nostram. Quis est qui
maiora non percipit à Domino beneficia, quam
fanati hi leprosi, tum per peccatorum frequentem
condemnationem, tum per liberationem à damna-
tionem meritis Christi nobis in dolum? Et tamen
quotusquisque est qui cum ingratitude frequen-
ter non incidat, & Dei beneficia tanta parvipen-
dat: Si graviter conqueritur Dominus. *Nonne de-
cem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Et nos quid
dicemus? Novem ubi sunt? Centum ubi sunt?
Mille ubi sunt? Milia ubi sunt? Ubi, inquam,
sunt innumeri qui beneficiis Dei adornati gratiam
negligunt & salutem? Retrosam abeunt, nec
te vertuntur ad benefactorem, ideoque pereunt.
Metuendum cerè ne ex his qui sacramento baptis-
mi à lepra peccati originalis mundantur, vix unus
postmodum in divina gratia persistat. Metuen-
dam quoque ne ex decem qui peccata sua confi-
tentur, quandoque vix unus Dei gratiam percipiat.
O detestanda hominum ingratitude, qui di-
vini beneficiis abutuntur!

Côclusio. Sed cludens ad te Domine vocem corporis,
votumque cordis mei converto, & cum his lepro-
sis in clamo: Iesu Præceptor miserece nostri; præ-
cepto tuo omnem animi lepram à nobis propel-
lere digneris, ut tibi serviamus in munditia & fan-
ditate. Non inhereat nobis lepra Regis Ozia, lepra
presumptionis & superbie. Non lepra Giezi lepra
avaritiae. Non lepra loab, quæ designat lepram
luxuriæ, dicente Davide: *Non deficiat de domo loab
fluxum sanguinis sustinens, & leprosus.* Non lepra Ma-
riae sororis Moysis, quæ fuit lepra invidiae. Non
lepra gulæ, quæ designata fuit in quatuor leprosis
castra Assyriorum ingressis, & ibi sese ingurgitan-
tibus. Non lepra Naaman, quæ designat vit lepram
iræ, & impatientiæ, dum indignatur Eliaco Pro-
pheta. Non denique lepra manus Moysis, quæ
manui ejus adhæsit, dum eum intra sinum con-
clufit, quæ significavit lepram acediæ. Sed expur-
ga benignitate tua lepram hanc septuplicem:
immo omnem lepram capitis, cordis, domus,
vestis, sana in nobis. Fac ut perfecte eam ostend-
damus tuis Sacerdotibus, nihilque occultemus.
Denique impertire nobis vestram gratitudinem
mentis, ut agnoscetes nos per te sanos, cum hu-
militate & pietate, cum voce laudis, & gratiarum
actionis reverentiam ad te cum Samaritano, &
gloriam demus Deo toto corde,
toto animo.

DOMIN. XIV. POST PENTECOST. Lect. 22.

bipat.

Non potestis Deo servire & Mammona.
Matth. 6.

EVangelium istud desumptum est ex divino
Domini sermone in monte, ubi cum post non-
nulla documenta sacratissima superbiæ, vanam-
que gloriam (quæ primum est capitale vitium) su-
gendam docuisset; incipit differere contra avari-
tiam tanquam radicem multorum malorum. At-
que ut eam penitus eradiceret, docet abjiciendam
niamque terrenarum rerum sollicitudinem, fidu-
ciamque in Deum projiciendam, atque æterna bo-
na appetenda. Quæ non mala utique ex avaritia &
terrena cupiditate oriuntur? Audi Cassiodorum:
*Reginam illam prociacum victorum avaritiam fuge-
cis cuncta crimina detestabili devotione famulantur,
quæ dum peccus hominis ingressa fuerit, gradatim
quoque maleficas cohortes admittit. Ferrum potest
recipere, quia nasci esse solitaria; agmen habet blan-
dissimum, arma suscipit extolentis. Idem dixit A-
postolus, afferens eos qui volunt divites fieri, in-
cidere in tentationem, & in laqueum diaboli, vel
in multa desideria nociva, quæ hominem mergunt
in interitum & perditionem. Secum ergo ad
radicem hanc pessimam cupiditatis terrenæ admo-
vet Dominus, ut excindat eam funditus. Atque in
in primis Proverbiis quoddam generale propo-
nit, ut à rerum terrenarum cupiditate, & servitute
ad divinam servitutem, & æternorum desiderio-
rum nostram sublevet mentem, deterfa cecitate,
quæ avaritia solet inducere. Nemo, inquit, potest
duobus Dominis servire. Hoc maxime verum est,
quando diversi sunt humores, ita ut quod uni pla-
cet, alteri displicet, quando diversa solent impe-
rare. Exinde inserit Dominus: *Non potestis Deo
servire & Mammona;* quia nimirum hi duo Do-
mini planè inter se dissident, & contraria præcipi-
unt. Mammonam autem vocat divitias, sive dæ-
monem injustis divitiis & lucris præsentem, do-
minantemque super his qui diligunt mundum.
Hunc etiam Plutum Antiqui nominant, quem
Deum divitiarum dixerunt simulque Deum infer-
ni; sicque significasse videntur divitias ad inferos
ducere. Ea propter dicit S. Chrysologus serm. 29.
*Aurum nascitur in terra profunda, seclatur Montium
fundamenta, perque ima venarum cæcis discurris
antracibus, & dum suam semper repedit ad natu-
ram, caelestes animos ad inferna deponit, obscuras
sensu, semper alta mentium in terrena demergit.*
Sic etiam scribit Plutarchus in una urbem Sparta
divitiarum Deum servari cæcum & jacentem,
ut picturam inanimatam & immobilem. Et
Clemens Alexandrinus Plutum cœcum natum ab
Ethnicis creditum esse scribit, utpote, qui statim
atque homines possederit, eos excecavit solet;
id est, omnem ab eis mentem & rationis lumen
auferte.*

R. 111 3

PARS I
*Quomodo
impossibile
servire
Deo &
divitiis.*

i. 111. 6.

auterre. Merito igitur Dominus pronunciat: *Non potestis servire Deo & Mammona.* Quasi dicat: Non potestis Deo coeli servire, & Deo simul inferorum; Deo lucis, & Deo tenebrarum; Deo Clarevidenti, & Deo excaecato; & excaecanti: Deo vero & demoni quitaquam Deus vult adorari, & vobis imperare. Eorum nempe precepta plane sunt adversa. Deus precipit humilitatem, diabolus superbia delectatur. Deus precipit mansuetudinem & patientiam, demon instigat ad iracundiam & impatientiam. Deus amat castitatem, & puritatem, demon impellit ad impudicitiam & foeditatem. Deus vult sobrietatem, demon proponit gulam & voluptatem. Deus imperat charitatem, demon ferit invidiam & dissensionem. Deus vult contemptum saeculi, demon avaritiam, & cupiditatem imperat saecularem. Deus vult omne tempus honori suo addici, demon vult detractioni, comminationi, divitiarum corraioni, vel aliis vitis imendi. Hic est ergo Mammona, Deus falsi saeculi mundi. Hic est Princeps inferorum, Princeps tenebrarum, cuius servitus non compatitur secum servitum Dei, cuius tenebrae non conveniunt cum lumine caeli. *Qua enim societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?* Quis con-

5. Cor. 2. *seruus tempis Dei cum idolis. Iterum ergo atque iterum repetimus cum Domino: Nemo potest duobus Dominis servire. Non potestis Deo servire & Mammona.*

Exemp. *servientium Deo & Mammona.* Non poteris, o infelix Iuda, Deo servire & Mammona, ideo ut placeas Mammona Dominum & Deum tuum excaecatus vendis, & quia tenebrae excaecans pecunia menti tuae obfuditillum in nocte & tenebris tradis. Excaecatio autem postmodum adhuc efficeris, dum argenteos addicis templo, te ipsum laqueo; sicque suspensus crepuiti medius, effusus in terram vilceribus infelicissime.

Iuda. Non poteris servire Deo & Mammona; O miser Giezi, ideo dum munera Mammona sectaris, accipiens pecuniam a Naaman jam sanato a lepra, Eilisei pertunderis maledictione. *Accepisti argentum, & accepisti vestes, ut omnia oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas, sed & lepra Naaman adheret tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Haec scilicet merces tua in servitute Mammona promerita.

Giezi. Non poteris servire Deo & Mammona, o Anania & Sapphira, & ideo quia cor adhuc habebatis in possessionibus Deo oblati, & instigante Mammona defraudatis de pretio agri divenditi, quod afferebatis ad pedes Apostolorum, & mentiti estis Spiritui Sancto, maledictionis fulmine a Petro percussi, caelesti aitione proligrati tubito ex-

Anania & Sapphira. Non poteris servire Deo & Mammona, o im-

pie Balaam, & ideo dum pecuniam, & mercedem vis accipere impulsus avara cupiditate, ut maledicas

Balaam. *populo Dei, increpationem accipis ab Angelo, quem prius Asia tua eum gladio versatili, videt quam tu excaecatus a Mammona. Sic maledictionem in benedictione cogis vertere, & caecitatem tuam fateri, dum ais: Dixit homo cuius obsecratus es, Excacatus nimirum erat oculus tuus per avaritiam, & cor obtenebratum, quamvis per scientiam prophetiam visionem habueris Omnipotentis intuitus est. Excacatus nimirum erat oculus tuus per avaritiam, & cor obtenebratum, quamvis per scientiam prophetiam visionem habueris Omnipotentis te ad meliora compellentis.*

Non poteris Deo servire & Mammona, o stulte dives, qui cogitabas intra te, dicens: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixisti: Destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, & dicam anima: Habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, bibe, epulare.* Hoc tibi suggererat Mammona, cuius deditus eras servituti. Sed tibi e contra dixit Deus: *Stulte, haec nocte repetent animam tuam a te, & quae parasti cuius erunt? In te etiam moventur reliqui, dum adjicitur: Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Nocte non die anima tua reperitur, quia avaro sempernox est, a tenebris incipit, & in tenebris perseverat. Dignus quoque es, qui nescias quo successoro dimittas id quod nescis, quo largitore possideas.

Non poteris Deo servire & Mammona, o improbe Simon, & ideo quia suggerente Mammona existimasti donum Dei posse pecunia possideri, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Cor tuum non erat rectum coram Deo, quod pecunia erat depravatam. Errant igitur plerique homines hujus saeculi, qui existimant se posse Deo servire & Mammona, Deo & cupiditati suae obsequi. Accedunt quandoque ad Deum, & ejus obsequium, Missae sacrificium audientes, verbum Dei excipientes, elemosinam aliquam largientes, jejunia & lesta observantes. At alia ex parte volunt servire propriae voluntati & cupiditati dum per fraudes, & injustitiam bona accumulunt, dum aliena non restitunt, dum vindictam & odium fovent, vel aliis vitis dediti sunt. Quot vero peccata, tot sunt idola quibus vivunt, & tot Domini. *Qui facit peccatum, peccati servus est: & a quo quis de civitate est, huic & servit.* Es Nescitis quoniam cui exhibeas vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis. Ideo Diogenes Alexandro se Dominum orbis iactanti respondit: *Tu servus servorum meorum es.* Illis enim cupiditatis quibus ego impero tu municipium es, ad eas explendas caelum & terram miscens. Audi & Poetam: *Si metus, si pravae cupis si ducere vias, Servus patere jugum, tolerabis iniquas, Invenis leges.*

Propria excellentia idolum est tibi dominans, cui servis in superbia. Proprium judicium idolum est tibi dominans, cui servis in haerese.

Propria

2. Pet. 2. *Rom. 8.*

Claudius

Cupiditatum mancipia

Propria voluntas idolum est tibi dominans, cui servis in obedientia.

Venter tuus idolum est tibi dominans, cui se vis in ebrietate & crapula.

Voluptas carnis idolum est tibi dominans, cui servis in luxuria.

Passio inordinata idolum est tibi dominans, cui servis in ira & invidia.

Cupiditas terrena idolum est tibi dominans, cui servis in avaritia.

Sic & de aliis vitis. Non ergo illis potes servire, & Deo. Non potes in ara cordis tui idolum Dagon ponere cum Arca Dei, nec unum genu flectere coram idolo, & alterum coram Arca, sicut volebant facere Philistaei. Non potes in duas partes claudicare, modo sequendo Baal, modo obsequendo Deo Israel. Si Dominus est Deus, sequimini illum, si Baal est Deus, sequimini illum, Ehas Propheta, vsque quo in duas partes iudicati, o medi Christiani, modo Satanam sequentes, modo Deum? *Ve duplici corde, ve ingrediens duabus viis terram. Ve illis qui putant se posse oculo uno respicere oculum, altero terram. Ve illis qui diverso femine agrum cordis sui ferriant, amorem Dei, & mundi putantes se posse committere. Ve illis qui volunt dividere cor suum sicut meretrix Salomonis infantem, ut partem dent Deo, partem Mammonae, seu Satanae. Vnum vni, dicebat B. Egidius S. Francisci socius. Vnum cor uni Deo dandum. Stratum cordis angustum est, ita ut alter decidat, Pallium breve est quod utrumque operire non potest. Sit ergo Deus noster Deus cordis nostri, excluso Satana & Mammona, cōsecratur gratia divina excluso peccato, consecratur Arca excluso Dagon, quando quidem utriusque obsequii, Dei scilicet & Mammonae, afferent Dominus non posse simul consistere, jam nemini liceat dubitare.*

1. Reg. 1.

3. Reg. 18.

Ecl. 2.

3. Reg. 3.

Isai. 28.

An divites Deo servare possint.

Hoc inquit adverteant SS. Patres non dici hic à Christo, Non potestis esse divites & servare Deo, id enim poterunt Abraham, Iacob, Tobias, & alii. Sed dicitur; Non potestis servare divitiis & Deo. Ille nimirum servare debet homini, non autem homo illis; *Qui divitiarum servus est, illas custodit ut servus, qui servituti excussit jugum, illas distribuit in Dominus, inquit S. Hieron. Bonus ergo dispensator non est servus divitiarum, sed illi sunt adjumenta virtutis, quae avaro sunt impedimenta salutis. In illis non figit spem, sed utitur praesentibus, ut vice huius necessitati consulat, vel ut pauperum inopiam succurrat, vel ut his pie erogatis peccata sua redimat; nec quaerit illas per mala opera in mundo, sed servat eas per bona opera in caelo, ut loquitur S. August. epist. 89. Itaque S. Chrysostom. Hom. 2. in Matth. sic dixerit haec de re. Noli mihi contra hanc sententiam Domini profere divites, sed profer divites fervientes. Alioqui etiam Iob erat dives, non tamen pecuniae serviebat, sed divitiis, ut congruit imperabat; nec earum erat famulus, sed Dominus. Non modo aliena non rapiens, sed propria quoque largiens in-*

digentibus, ne quidem se illa habere gaudebat? Si laetatus sum quia mihi multae essent divitiae. Unde quia gaudium de possessione non habuit, dolorem ab amissione non pertulit. *Dominus dedit, inquit ipse, Dominus abstulit. Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar.* Ita qui divitias habet, nec inde superbit, aut violentus est, aut in illis non praesidit, sed illas impotentibus partitur, vere Dominus illatum est? quia divitiae illum non tenent, sed ipse divitias: è contra qui inde superbus est, aut violentus, aut avaritia constructus nemini eas partitur, servus est divitiarum: quia divitiae illum tenent, non ipse divitias. Hoc ipsum est quod monet Psaltes: *Divitia si affluant, nolite cor appanere.* Quasi dicat, Nolite animum illis immergere, nolite de affluentia illorum vos ingurgitare.

Job. 30.

Job. 8.

Psal. 61.

Indic. 7.

Olim Gedeon milites suos ad aquas ducens, illos à se eligendos caelitus est edocuit, qui lingua lambebat aquas, manu ad os eas projicientes, & in transitu bibentes: illos vero à se rejiciendos esse, qui curvatis genibus in terram ad saturitatem biberent, & quoddammodo sese injurgitarent terrae & aquis illo poplite inhaerentes. Sic à Deo reprobantur qui illo huius saeculi divitiis sic inhiant, ut in terram prostrati eis incubent, easque bibant: illi vero qui parce illis utuntur, quasi in transitu bibentes, & manu eas tenentes, nec illis nimium inhaerentes, eliguntur à Domino. Sed sicut pauci fuerunt manu leviter bibentes, trecenti scilicet viri, tota autem reliqua multitudo ad bibendum in terram se projecit; sic & pauci sunt qui fluxus huius saeculi bonis parce, & cum mensura utuntur plurimi illis corde adhaerent, & corpore, cum ingluvie & intemperantia, ideoque multi inveniuntur reprobi.

Ceterum; si ad omnes Christianos hoc merito dirigitur; *Nemo potest auctus Dominis servare, non potestis Deo servare & Mammona;* quanto ampliori ratione id viris Ecclesiasticis, qui se Christi servos & ministros profitentur, id inculcatum esse debet, ut ab avaritia manum, animumque cohibeant? Propterea in monte hunc sermonem pronuncias loquebatur Christus Apostolis & discipulis suis, eorumque successoribus. Praevidebat nimirum nonnullos futuros, qui se ministros Dei dicerent, & nihilominus Mammonae & avaritiae servirent. De his dicebat S. Brigitta lib. 4. cap. 126. *Cum temporalia ista appetuntur & offeruntur, sic excitant oculos animae & rationis, quod dicitur videntur stare cum Samsonem ad molam curam munditatis quam cum sponsa Ecclesia ad dispensationem cura Pastoralis. An pauci Ecclesiastici tates sunt, quibus suavior videtur sollicitudo volubilis rerum volubiliam, quam dispensatio aeternarum: An non citius currunt ad molam proprii lucris, quam ad curam proprii officii? Imitantur hi Giezi servum Prophetae Elisei, qui cupidus pecuniae etiam se reddidit obnoxium leproae, Similiter & apu*

Ecclesiastici maxime manum & animum ab avaritia cohibere debent.

1. Reg. 31.

& apu

& ipsi dum solliciti sunt ut bona seculi acquirant, simul etiam seculi, lepram incurunt, cupiditatem avaram, voluptatem amaram. Non sic Apostoli, & discipuli Domini antecessores nostri, in quibus emicuit contemptus seculi. Longe ab eorum corde aurum, longe crumena fuit & manu: *Aurum & argentum non est mihi*, dicebat Petrus Apostolorum Princeps: vox digna Apostolarum, digna Ecclesie Principatu. Qui aurum non habet, virtutem habet. Quid hac Paupertate ditius? Quod autem habeo, hoc tibi do. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*. Pauper est Petrus censu, dives certe fide & spiritu. Vnde S. Ambrosius in Lucam lib. 7. *Petrus gloriatur se non habere aurum, pudor vobis est minus habere quam cupitis. Est ergo pauperes gloriosa: quia est & beata, de qua scriptum est: Beati pauperes spiritus*. Elias pauper erat, & caelo impetavit, nec descendit e caelis ros & pluvia nisi iuxta oris eius verba. O rem mirabilem, inquit S. Chrysostomus. *Nec vestem habet, nec panem, & caelum clausit: quia nihil hic possedit, multam exhibuit potentiam, ut ad eius vocem innuenerant in caelo thesauri laborarentur. O sanctum es cui fontes imbrum inervant! O vocem, bonis omnibus sequentem!* Sic qui aurum & terrena contemnit, celestia bona possidet & dona, ut Elias, ut Petrus.

S. Thomas quodam die fertur ad Pontificem Innocentium IV. advenisse, ea autem hora numerabatur usque summa auri signari, coram Pontifice. Tunc dixit ei Pontifex: *Vidistine Thoma Ecclesiam non amplius sicut olim cum avaris esset in exordium suo dicere posse: Aurum & argentum non est mihi*. At ille modestè respondens, subiunxit: *Fatendum id Pater Sancte sed etiam Ecclesia modo non potest fieri primitiva claudere dicere? Surge & ambula, ac sanus esto*. Ita testantur, & referunt graves Auctores.

Referunt & alii, quando Constantinus Imperator tot divitiis, totque possessionibus adornavit Ecclesiam, auditas fuisse publice voces Angelorum per aëra volitantium, & inclinantium: *Hodie cecidit vanorum in Ecclesiam Dei*. Non quod divitiarum successu temporis regimini Ecclesiastico non conveniret: sed quia illis postmodum nonnulli abuturi forent, non tam Ecclesie servientes propter Deum, quam propter aurum.

PARS II.
De remediis contra servitium Mammonæ

Christus Dominus remedium contra avaritiam, servitium Mammonæ prescribens, docet abiciendam superfluum curam & anxiam sollicitudinem rerum temporalium etiam necessitati potestatem in victu quam in vestitu servientium, quae sublata etiam malis avaritiarum cupiditas extinguitur. *Nescite inquit, solliciti esse anime vestra, quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini*. Cum autem varias rationes afferat ad tollendam hanc sollicitudinem anxiam, & rotundam inde animi servitutem noxiam: omnes tamen in fundamento eodem

nituntur, divina scilicet in nos cura & providentia, quae nunquam obdormit, sed semper vigilans est, semper excubat in nostrum profectum. Hoc asserit his verbis summarè omnia quae dixit complectentibus: *Sci Pater vestre quia his omnibus indigetis*. Quasi dicat: Sine eius cura sollicitudo vestra inanis est, & frustranea. Ipse vobis & Pater & Mater est, in ipsum curam facite vestram, & cogitatum, ipse vos nutriet & vestiet & quae cum que conducunt, subministrabit. Estote tamquam infantes respicientes eum tamquam Patrem vos cibantem, respicientes tamquam Matrem vos lactantem & vestientem: licet videatur infans desitit ut natura, ita ut non possit sese induere, vel cibare, vel protegere a frigore, tamen mater ad minimum eius nutum ubera applicat, nutrit, vestit, protegit, solatur, & de omnibus providet; immo nec expectat eius nutum aut ploratum, quia hæc fecit esse necessaria. Sic Deus erga nos se gerit ut Mater & Pater. *Sci Pater vestre quia his omnibus indigetis*. Ipse est Pater filiorum amantissimus, & scit vos esse homines, non Angelos: scit vitam vestram esse corruptibilem & mortalem, ideoque egere alimento restaurante. Cur ergo in eum sollicitudinem omnem vestram non projiciatis, cui est cura de vobis? Estote filii, ipse non deerit inquam tamquam Pater curare quae illius sunt, ipse vestra curabit. Si Patres provident liberis, quando eis adfunt facultates, & norunt filiorum necessitates: huic patri nihil deerit, suorum vero necessitates, nullatenus cum latere possunt, amor quoque erga suos major est quam ullius Patris; injuriam ei igitur facit qui eius amoris & providentiae diffidit. Hæc est ratio generalis, & fundamentalis, quae nimia eximitur animis nostris sollicitudo cum anxietate & diffidentia conjuncta, quae plerique sic quaerunt temporalia & terrena, ut longe plus videantur illa curare, quam celestia, longe majori sollicitudine impulsu ad ea quae sunt corporis, quam ad ea quae sunt anime & aeternae salutis. Hinc nonnulli ita ceruntur immergi suis negotiis, ut videantur oblivisci vitam caelestis, deum tantum scilicet, quam aliis diebus illis vacant, illis incumbunt, dum sollicitudinem continuo suffocantem spiritu intus alunt, exteriusque exherent. *Quanta hominum curae, & quantum est in rebus inane!* Hanc sollicitudinem anxiam diffidentem, dividendam, tollere hic nititur Dominus. Hanc etiam sancti viri non solum e corde suo, sed etiam e corde aliorum exterminare conati sunt verbo & exemplo.

S. Franciscus maxime oderat sollicitudinem nimiam in conquerendis illis quae ad vitam spectant corporis. Ideo licet omnibus animalibus a se significaret, minus tamen inclinationis, & affectus habebat erga formicas, quam erga alia animalia: & hoc quidem propter nimiam sollicitudinem, & diligentiam, quam exhibent ad accumulandum pro futuro ea quae spectant ad victum & alimentum. Vnde dicere solitus erat has non mereri esse de numero volatilium, de quibus dicit Dominus.

Resp. 116

Respiciat volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater caelestis pascit illa. Sic docebat ipse suos instar volatilia caeli, cor in providentia Dei habere, nec instar formicarum sollicitae velle congregare. Cam quodam die in agro Dioecesis Citermenfis magnus foret confluxus populi ad verbum divinum ex ejus ore suscipiendum, nec aptus foret locus in ea campi planitie ad annunciandum tantae multitudini verbum salutis, accessit ad quandam quercum, quam ab infima parte ad summitatem usque comperit formicis cooperita. Mox vero congregato, & prementate sese populo, jussit ut locum facerent, & viam formicis, & cum illis preceptum dedidit discendi, abierunt illae ea ipsa via, quam populus fecerat sese paulatim dividendo. Hoc miraculo indicavit illos qui instar formicarum ad congregandum sunt nimis solliciti, non esse aptos verbo Dei, quia sollicitudo nimia suffocat verbum & semen saluus. Quod itaque Sapiens pigros ad formicam remittit: *Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & discite sapientiam. quia cum non habeat ducem, nec praecceptorem, parat in aestate cibum sibi, non tam monet pro sollicitudine, & provisione rerum temporalium, quam pro provisione cibi spiritualis pro futuro, in tanta nunc commoditate, & opportunitate boni operis, & meritum congregandi, ne in veniamur inopes, & indigi tempore hyemis, hoc est, futurum iudicii. Adverte etiam quod tibi nos legimus, vade ad formicam, o piger. Septuaginta Interpretes legunt vade ad eam, Hae industria sua melceramque producit, non solum hominum, sed etiam Dei obsequio, ideoque eius utilis labori, & laetitia ad imitationem nobis proponitur & exemplum.*

Prov. 6.

Anxia sollicitudinis mala.

Nimium solliciti quibus assuntur.

Anxia itaque sollicitudo inutilis est & perniciofa, multa invehens mala tam corpori, quam animae: laedit valetudinem, abbreviat vitam, impedit quietem, servat fidem, protegit & deicit spem, refrigerat charitatem, distrahit orationem, parit desperationem Dei, inducit oblivionem animae & corporis, quandoque ingenerat mortem. Hanc videmus in nonnullis parentibus, qui ut filiis opes acquirant, die nocteque non quiescunt, aegritudine animi & corporis licet confecti. Cui assimilabimus homines generationis huius. Similes sunt Pellicano, qui pectus suam dilacerare dicitur, ut pullos enutriat: sic enim illi totos sese dilacerant, animam frequenter corpusque ledentes, ut filiis divitias congregent, & propter illos perent. Similes iterum sunt araneo, qui se eviscerare dicitur, ut texturam volatili brevique dissipandam contexat: opes enim tanto labore & sollicitudine aggregatae, textura & filia sunt mox a vento dispergenda. Hi sunt enim divitiarum successus, ut & possessores suos eludant, & tanta sollicitudine, tantisque nonnunquam peccatis comparatae brevi & misere dissipantur, vel luxu delitiasque haereditum mox dissipant. Vnde & illud Horatii: *Rational. Evangel.*

Abjuncta haec Cacus dignior
Serena centum claribus, & mere
Tinget pavimentum superbo
Pomificum potiore canis.

Hoc ipsum est de quo conqueritur Ecclesiastes: *Cum me convertissem ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Rursum detestatus sum omnem industriam meam, quia sub sole studiofissimè laboravi, habiturus haereditem post me quem ignoro, an sapiens, an stultus fuerim sit, & dominabitur in laboribus meis quibus desudavi & sollicitus fui, & est quicquam eam vanum? Explicat vanitatem in divitiis nimia sollicitudine congregandis, illasque duas dat causas. Prima est ex mortis necessitate, quia velis nolis illas oportet relinquere, & in manus successoris tradere. 2. Quia nescis qualem haereditem sis habiturus, opes enim animi solent immutare & ad vitia transferre; sic forte non erit bene usus, sed quae tanto labore quaesivisti, mox disperget luxu, vel aliis modis. Addit & infra: *Etiam otioso quassata dimittis, qui laborat cum sollicitudine, haereditem scilicet facit otiosum, qui ubi videt sibi affluere, honestum etiam exercitium & laborem cenit ut refugere & detestare. An non haec quae Sapiens nos edocet crebra experientia videmus? O infelices parentes infelici sollicitudine & labore confectos, nec sibi, nec aliis utili, propter quam forte in paenis deumentur, & filii causa sunt vitii & exitii. Sed & ille inter omnes solidissimus est, de quo: *Plus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiansur oculi eius divitiis, nec recogit, dicens: Cui laboro & fructo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Contra hos omnes nimia sollicitudine distentos egregie B. Prosper. lib. 2. de vita contemplativa c. 15. disputat. ubi inter caetera sic habet: *Ecce jubet nobis impetiosa cupiditas, ut divina parvipendentes possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus: ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, ut inde nos morbida natiuitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusionis elati, fieri pauperes spiritu negligamus. Sic iugo Christi contempto ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus, & Domini nostri levi onere posthabito plumbeum pondus nostris cervicibus aggeramus. O intolerandum cupiditatis imperium! Rapiat nos per varia, nec permittit animum liberum, non stabile corpus aut quietum vagante animo, & velut quaedam cadavera in pastum fens projecta captivos immundis spiritibus tradit, non lacerandos, sed avidissimis mortiferorum criminum faucibus devorandos, nec tamen ut esse jam desinant, sed ut penaler vivant. Denique in vivis corporibus adhuc portant funera sua, sed in eisdem simul vivi & mortui. Haec tenet B. Prosper.***

Eccl. 1.

Vanitas animi sollicitudine congreganda.

Eccl. 1.

Caeterum, non condemnatur a Domino sua moderata moderata cura, & sollicitudo ad providendum. *Ssss*

eadem non
dantur
2. Tim. 5.
Gen. 3.
Iob. 30.

dem sibi & familie de cibo & aliis: nam dicit Apo-
stolus: Si quis suorum maxime domesticorum curam
non habet, infidelis est. Ideo etiam dictum est ho-
min: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sic et-
iam dicitur B. Iob: Homo natus ad laborem, sicut
avis ad volatum. Unde notat S. Aug. quod Chri-
stus nos mittit ad volatilia, nec dicit quod illa non
volent e nidis, ut querant sibi necessaria, utique
volant, nec expectant ut Deus eorum faucibus gra-
nium inserat, sed iuxta naturam instinctum quaerunt
cibum. Non ergo inertia fovenda, sed anxietas
animi & diffidentia fuganda. Deus totum mun-
dum regit: gubernat, & alit, tamquam Pater fami-
lias omnium curam habens & providentiam. Sicut
ergo familia totam curam domus lactat super Pa-
tre familias, ut domum disponat ad libitum; ita
& nos totam curam vite nostrae iactare convenit
super Dominum. Nec ex hoc sequitur quod otiosi
debemus esse, sed sicut filii familias Patri relin-
quentes curam domus, quam ipse per se ordinat,
& aliis agenda imperat, parati sunt illi obedire, &
curam sibi impositam exercere pro viribus: ita &
nos sub Dei voluntate oportet esse sollicitos, solli-
citudinem interim omnem in eum projectentes.
Non ergo precipit, ut non femineas, ut non me-
tamus, ut non in horream messem congregemus;
sed hoc vult, ut nostra sollicitudo, & cura ejus cura
subiciatur, ne pro vita nostra aliquid peccatum
incurramus. Alioqui tentatio Dei foret in sola
eius providentia velle stare, & expectare, ut nobis
provideat sicut populo in deserto, aut Eliae sub
lunipetro, aut Danieli in Leonum antro.

Exemplum habes in Vitis Patrum de quodam
Iohanne Brevi, sive Nano. Hic dixit quadam die
Fratri in eadem cella habitanti: Opto esse servus
sicut Angeli nihil operantes, sed semper Deo servientes.
Spoliatus ergo se veste qua erat vestitus, abiit
in eremum, sed facta ibi hebdomada, una necessitate
compulsus rediit ad Fratrem, ostium petens sibi
aperiri. Cui Frater: Quis, ait, es tu? Etenim ille:
Ego sum Iohannes. Respondit alter: Iohannes Angelus
factus est, nec ultra inter homines est. At ipse perse-
verabat pulsans & dicens, Ego sum. Sed permissus
est aliquandiu affligi, nec ostium apertum ei fuit.
Tandem tamen Frater ei compatiens aperuit, &
dixit: Si homo es, opus habes operari, ut vivas. Si au-
tem Angelus es, quid quaeris intrare in cellam? At
ipse penitentia ductus, ait: Ignosce mihi Frater,
quia peccavi. Haec ibi.

Sollicitudo
& labor
Eremita-
rum.

Si ergo etiam olim Anachoretae, & eremi inco-
lae licet totos se divino deditos profiterentur obli-
quio, tamen opere manuum victum quaerebant,
sportas texendo, laboriosa opera conficiendo, ter-
ram fodiendo & colendo. Unde S. Augustinus lib-
de opere Monachorum redarguit quosdam, qui
ad monasteria prosperabant eo fine, ut a labore se
eximerent: Qui veniunt ad professionem servitium
vite Dei, inquit ipse, ex vita rusticana, & ex officium
exercitio & plebeo labore, quo minus operentur,

excusari non possunt. Nulli enim licet ut in vita ea in-
qua sunt Seniores laboriosi, sicut opifices otiosi. Et
quod veniunt relictiis divinis & deliciis qui fuerant
praeiorum Domini, ibi sunt rustici quidam delicati.
Sic etiam S. Paulus tabernaculorum opifex nocte
& die laborabat, ut se opere manuum sustentaret,
ne videretur ex Evangelio lucrum captare. Mem-
ores estis Fratres laboris vestri & fatigationis: nocte ne
die operantes, ne quem vestrum gravarentis, prae-
dicavimus in vobis Evangelium Dei. Unde & alios
ad laborem cohortatur. Qui non laborat, non man-
ducat. Itaque sollicitum oportet esse quem liber ad
laborem congruum status & vocationis, & maxi-
me hos qui per artem, industria, officium, &
familiamque debent sustentare: Unde non repre-
henditur sollicitudo illius de quo Sapiens: Qui te-
net araturum, & stimulo boves agit, & conversatur
in operibus eorum, cor suum dabit ad versandos sulcos,
& vigilia eius in sagina vaccarum. Haec est solli-
citudine nostrorum rusticorum, quae non est re-
probanda, si cor non avocet à divinis & saluti
conducibilibus, nec cum diffidentia sit conjuncta. Nam
& exemplum agriculturae dedit Adam: quem secu-
ti sunt Patriarchae, & nonnulli ex Prophetis. Nec
cepit exercere terram, & Eliseus erat arans in duo-
decim jugis boum, dum pallo suo unxit eum E-
lias, & vocavit ad perfectionem servitium. Amos
quoque armentarius fuit & sequens boves, corque
suum dabat ad versandos sulcos. Nec reprehenditur
faber ferrarius, de quo ibidem: Sedens iuxta
incudem considerat opus ferri. Vapor ignis uret car-
nes eius, & in calore fornacis concutitur. Vox mallei
innovatur aurem eius, & contra similitudinem vasit
oculus eius. Cor suum dabit in consummationem ope-
rum, & vigilia sua ornabit imperfectionem. Hoc ei
licitum est ad alendam familiam, & necessitatibus
providendum, si modo per id non obfuscatur
corde se à Domino formatum, non ut fit vas fer-
reum, sed argenteum, aut aureum, usus Domini
profuturum: ideoque se interius sic disponat, ut
inter vasa gloriae tandem destinetur, & igni non de-
putetur aeterno. Non etiam reprehenditur figulus,
de quo ibidem dicitur: Sedens ad opus suum con-
vertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus
est, semper propter opus suum. Cor suum dabit ut con-
summet limitationem, & vigilia sua mundabit fornacem.
Hi & similes non sunt reprobandi in opere
suo solliciti & laboriosi, quia sine his omnibus non
constat civitas & ipsi in Deum laborem, & solli-
citudinem suam referentes, mercari possunt isto la-
bore regnum caelorum, non solum subsidium vite
temporalis. Quia tamen facile contingit cupiditas
rem, & immoderationem sollicitudinis se hic in-
terferere, amoremque lucris nimium, qui mentem
à Deo & divinis avocet, ideo Ecclesiasticus post-
quam ibi de multis opificibus disseruit, de singu-
lis adjicit: Cor suum dabit, &c. Item: Vigilia eius
&c. De hac re ergo solum monendi sunt, ne ni-
mis dent cor suum operi. Hoc est quod hic vult
Domi-

1. Iob. 30.

Ecl. 38.

Sollicitudo
rusticorum.

Fabri
ferrarii.

Figuli.

Opifex non det nimis corpus operi.

Luc. 22.

Dominus: Nolite solliciti esse, sollicitudine scilicet & curâ ita cor pregravante pro vita huius sæculi; ut alterius vite memoriam vix possitis habere, & anime curam gerere, ac de futuro sæculo & iudicio cogitare. Hoc iterum est, quod Dominus admouit: Attendite vobis ne graventur corda vestra curis huius vite, & superueniat in vos repentina illa dies. Causam oblivionis Dei, & iudicii ejus, causamque neglectæ salutis illam censet, quod graventur corda curis huius vite. Ideo subiicit de die iudicii. Tanquam loquens enim superueniat in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Quid est federe super faciem terræ? Terrenis est rebus inhæere, & his quasi affixum esse corde nimiam illarum sollicitudine. Sic idem est federe super faciem terræ, & gravari corda curis huius vite: quia est deorsum cor deprimere ad terram continuâ sollicitudine terrenorum: Tales certe non facili recordantur regem celestium & iudiciorum Dei, ideoque repente contingit illos tanquam laqueos ab illis iudiciis capi cum salutis dispendio.

EADEM DOMINICA.

Mat. 23. Nolite solliciti esse quid manducetis, &c. Quarite primum regnum Dei, &c. Mat. 6.

PAR I. Deratio-nibus Do-minis cen-tris sollici-tudines anxias. 1. Cor. 12. 2. Tim. 3. Rom. 8. Dicit. 4. 2. Cor. 12. Ephe. 4. Mala sol-llicitudo arduus modis con-siderari potest.

Sollicitudo quandoque laudabilis est, & in præcepto, quandoque vituperabilis est, & annexa malo. Sic laudabilis est sollicitudo regiminis, quâ Pater filius, Dominus servus, Rex populo, Princeps subditis, Prælati Ecclesiæ, Pastor gregi suo debet providere. Ideo dicit Apostolus: Instantissima quotidiana sollicitudo Ecclesiarum. Et generaliter de Superioribus erga inferiores dicit: Qui præst in sollicitudine. Laudabilis quoque est sollicitudo quædam erga Deum, erga seipsum, erga proximum. Erga Deum quidem ad perficiendum ejus mandata, ad proficiendum in ejus obsequio: Sollicitudine non pigri, spiritus ferventes, Domino servientes. Erga seipsum verò, ad custodiendum se à malo, & ab omni specie & occasione mali. De hac dicitur: Custodi te metipsum sollicitè, & animam tuam, ne obliviscaris verborum que videram oculis tuis, & ne excidam de corde tuo cunctis diebus vite tue. Erga proximum denique, ad spirituale vel temporale auxilium ei impendendum, & ad charitatem temper fovendam, de qua sollicitudine Apostolus dicit: Pro invicem solliciti sunt membra. Et: solliciti servare unitatem in vinculo pacis. Vituperabilis, & mala sollicitudo, tribus modis considerari potest, secundum interpretationem S. Thomæ Aquinatis in hunc locum Matthei. Sic enim loquitur: Sollicitudo dicit providentiam cum studio. Studium autem est vehementis applicatio animi. In ista autem vehementi applicatione potest esse peccatum. Quando alicui rei veluti homo seipsum totum impendit, quo quidem modo solliciti esse prohibemur. Et ideo

legitur: Expectatio sollicitorum peribit. 2. Intendit etiam aliquando mens nostra ad superflua acquirenda, quod item prohibetur: Dixi ergo in corde Eccles. 2. meo; Vadam & affluam divitiis. Quod si temporalibus etiam conquirendis mens addicta fuerit, adeo ut spiritualia derelinquat, peccat. 3. Quidam quoque solliciti sunt cum quodam timore & desperatione, quod timeant ne quid illis desit; & quantum hac in re de Dei providentia, & misericordia dubitant, ideo istis verbis Dominus hos reprimit. Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, aut corpus vestro quid induamini, hæc S. Thomas de Aquino. Ut igitur hanc sollicitudinem vituperabilem tollat Dominus, etiam in speciali varias adducit rationes, in quibus elucet divina erga nos providentia & cura, cui sollicitudo nostra anxia displicet.

Prima ratio continetur his verbis: Nonne anima est plusquam esca, & corpus plusquam vestimen-tum: Est argumentum quod vocant Philosophi à majori ad minus: Si Deus dedit animam & corpus, quæ longè majora sunt, quàm veris & cibus, nonne hæc minor dabit, & majora ista conservabit? Vnde S. August. lib. 4. de serm. in monte c. 22. ait: Sic Dominus admonet, ut meminerimus multò amplius eum dedisse, quando nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum & que tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. Similiter dicit S. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 12. hæc homini verba interpretans: Nihil inquit, mortalium ad faciendam fidem omnia credentibus à Deo posse conferri, quam quod aërius ille spiritus, vitale collegium anime corporisque contubernio foederatum, sine nostro labore perpetuat, nec salutatis deficit usus alimenti, nisi cum venerit dies suprema moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, & vigore anime corpus animetur, absurdum est, ut victus nobis copiam de futuram poterimus, qui vivendi jugem substantiam consequamur, hæc ille. Dicitur, o homo, quis corpus tibi dedit? quis animam tuo infudit corpori? quis id promeruit? quis pro ea te sollicitus fuit. Nonne ex sola sua bonitate id fecit Dominus, nullius ad id adductus sollicitudine, aut meritis? Si ergo animam tuam tibi dedit vitam sui imaginem, vestitamque corpore isto, teea de re non sollicito, nec petente quidem, quomodo eicam non dabit, si ab eo eam petieris? Vterius: Si animæ panem celestem donat & vestem gratiæ, cur quod minus est negabit corpori, panem scilicet terrenum, vestemque protegentem? Si gloriæ immensa donat tibi in obsequio eius perseveranti promittit, an poterit denegare temporalia? Si ut fidelis majora accepisti, & excellentiora speras, cur minor a eo accipere distidis, cur anxius si fueris ei fidelis? Hoc ergo bene pondera. Anima est plusquam esca.

Sed prohi dolor! quæ parum hoc considerant, Propter qui propter eam Deum offendunt, & animam eam multo per